

*Doc. 33 (Scriptum est ex parte
Balduyni de Sappigniis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 33 (Scriptum est ex parte
Balduyni de Sappigniis...)*

1296-04-23

Scriptum est ex parte Balduyni de Sappigniis (sic) militis fidelis nostri fuit nuper expositum coram nobis quod cum ipse terram Florencie sitam in iurisdictione tua a curia nostra obtineat, discordiam hominum terrarum Agerencie, Cancellarii, Casalis Aspri, Lacuspensulis Sancti Gervasii et Venusii eidem terre vicinarum, propter indiscreta tenimenta continua, reformidat, propter quod supplicavit nobis actentius, ut ad tollendam omnis dissensionis et scandali materiam, inter eos tenimenta ipsa dirimi distinguere et dividi mandaremus. Nos igitur petitionem huiusmodi, tamquam concordie bonum et pacis commodum continentem, benignius admittentes fidelitati tue precipiendo mandamus, quatenus syndicis vicinarum ipsarum ut procuratoribus dominorum si qui sunt inter nos, nec non castellanis palatiorum predictorum locorum Lacuspensilis et Sancti Gervasii ac senescalco regni nostri Sicilie, qui prout sua interest ratione defensarum et forestarumstrarum eorundem locorum Lacuspensilis et Sancti Gervasii iura in hac parte nostre curie tenentur, vel alio quem senescallus ipsa ad hoc duxerit statuendum, et ceteris qui vocandi fuerint evocatis, per homines eiusdem terre Florentie ac predictarum terrarum et locorum vicinorum adiacentium antiquiores fidedigniores et qui melius rei scire valeant veritatem de tenimento et territoriis ipsius terre Florentie ac predictarum aliarum terrarum et locorum, inquisitionem studeas facere diligentem, et secundum quod per inquisitionem ipsam inveneris fore probatum, territoria et tenimenta predicta a predicta terra Florentie a terris et locis aliis supradictis dirimas ad invicem et divides per fines lapideos, qui vulgariter termini appellantur, et determinationem eandem quam feceris facias a partibus

sub certa et formidabili pena inviolabiliter observari, ita quod neutri partium ipsarum iusta supersit inde materia conquerendi, nostre curie reservato quod si aliqua predictarum partium de divisione seu determinatione predicta assereret rationabiliter se gravatam, liceat eidem curie divisionem et determinationem predictam corrigere et ordinate provisionis remedio emendare. Interim tamen divisioni tue exinde stari volumus ut est dictum, sic equidem ut nulli partium exinde preiudicium generetur de productis quoque divisione determinatione distinctione ac limitatione per te exinde faciendis et exeeutione presentium fieri faoias competentia publica consimilia instrumenta, quorum uno penes te retento, aliis uno videlicet unicuique ipsarum partium assignatis, reliquum magistris rationalibus magne nostre curie studeas destinare.

Datum Neapoli per Bartholomeum de Capua militem etc.
die XXIII aprilis VIII indictionis (1296).